

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Daniel Overbeck

**Memoria Vitae Viri Admodvm Reverendi Et Praeclarissimi Avgvstini Matthiae
Giesenhagen Sacri Gregis Ad Aedem Cathedralem Pastoris Meritissimi Litteris
Consignata**

Lvbcae: Typis Exprimebat Ioh. Daniel Avgvst. Fvchsivs, [1785?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn175700663X>

Druck Freier  Zugang



Giesenhagen.

1785.

2°



Mkl - Bestand

77 II
1134 - 2⁰

MEMORIA VITAE

VIRI

ADMODVM REVERENDI ET PRAECLARISSIMI

AVGVSTINI MATHIAE GIESENHAGEN

SACRI GREGIS AD AEDEM CATHEDRALEM

PASTORIS MERITISSIMI

LITTERIS CONSIGNATA

A

IOHANNE DANIELE OVERBECK

GYMNASIi LVBECENSIS RECTORE

SOCIETATVM TEUTONICAR. GOTTING. IENENS. ET ALTDORFINAE

LATINAe MARCHICOBADENSIS COLLEGA HONORARIO



LVBECAE

TYPIS EXPRIMEBAT IOH. DANIEL AVGVST. FUCHSIA.

T

~~EXATIV ALIOMIN~~

ot in hac Ciuitate funeturorum pie vita mense Maio, fore, vt muneris causa vitas describere iuberet, quot effici numero possent, si talium alicui hoc monumenti genus quarti cuiuslibet anni vel octauo mense vel nono ponerem, haudquaquam ominabar illo tempore, quum euocatus Quedlinburgo, vt huic Gymnasio praeesset pro viribus tertio loco, ante primum hunc et quadragesimum annum eo ipso die Maii, quum celebrabatur memoria elati supra caelos Optimi Maximi Redemptoris, almam Lubecam, post absentiam sesquialterius lustri, et quod excurrit, denuo salutarem. Et accidit tamen spatio temporis haud paullo minori, quia Subrector humandi vnius tantummodo viri praeclarissimi enarravi vernaculo sermone vitam, atque Corrector demum aliquanto plurium, vt ab anno inde saeculi huius LV, usque ad hoc tempus, id est, per sex fere lustra, de undecim viris, ad Lubecensem pertinentibus rempublicam et mensem emortualem habentibus Maium, quando eorundem vel ducenda essent funera, vel ducta, litteris aliquid tradere deberem. Hac enim ratione memoriam sum pie prosecutus virorum de omni republica meritissimorum, et ex aliqua parte summorum, egressorum eorumdem illo mense rebus humanis, anno LV. IOHANNIS PHILIPPI LE FEVRE, Senatoris, LVI. HERMANNI GEORGII KROHNII I. V. D. ac Syndici, LVII. MENONIS NICOLAI CARSTENS, ad eadem Cathedram sacri Pastoris, LXVI. IOHANNIS FRIDERICII SCHAEVII, I. V. D. et NICOLAI BEROARDI MENTZE, Senatorum, LXX. HERMANNI NICOLAI KIENMANN, scientiae Medicae Doctoris, LXXI. GODOFREDI IOACHIMI WOLFI, I. V. Licentiati, LXXIII. HENRICI BROKES, memorabilis toto aeuo Consul, LXXIX. IOHANNIS MARTINI GOELDELII, sacri Pastoris Aegidiani, et IOHANNIS GEORGII GESNERI, Gymnasi Correctoris, denique LXXXII. LVDOVICI SVHLII, ad eadem Aegidianam Christiani gregis Pastoris; quorum omnium, tribus tantum prioribus exceptis, Latino sermone, Rector, exposui vitam.

Quorum quidem omnium obitu nisi notatus hic mensis esset idemque causam tam saepe mihi dedisset dolendi, o quam carus esset ille merito mihi, quamque iucundus, ob redditam feliciter mihi meam Lubecam! O quam delectabilis ipse dies memoriae CHRISTI ad Patrem electi sacer, etiam hoc nomine, quod me reducem illo die respubliam amabiliter exceptit!

Sed eodem die ac mense quo minus gauderem adhuc penitus totaque mente, quemadmodum praeter alias causas hucusque tot insignium virtute ac meritis virorum impeditus excessus, eodem prope articulo temporis infestus, ita nunc quoque haec eadem anni tempestas meo quodam Iulio ut acerbetur, id casu dicat fieri, qui velit, non tamen evenire sine consilio ac voluntate summi Numinis, certissimum est. Illud autem iam lugeo, quod hoc mense pridie huius diei, quem dixi, morte nobis eruptus et Redemptoris in caelum reuersi seque vocantis vestigia secutus vir est mihi, ut publice cum multis ob animi dotes ac merita, sic quoque priuatim ob perpetuum erga me studium, carus omnino magnique faciendus. De quo quum iubear iam aliquid scribere, quis quaeso miretur, si ad hoc opus accedam varia turbatus rerum haud leuite me afficientium cogitatione? Nec minus tamen accurate hoc, quidquid erit, negotii peragi a me oportebit et, quam fieri possit, optime absolui. Quocirca senectutis licet incommodis quibusdam sece moefer haud exiguis adiungat, enixe tamen, ut cum rei veritate conueniant, quae narranda sunt, nec nimis aberrent a dignitate, efficere contendam.

Induit primus hanc mortalitatem auspicio Numinis AVGUSTINVS MATTHIAS GIESENHAGEN Gustrouii, anno saeculi duodetricesimo, ante diem octauum huius mensis, qui nunc emortualis Illi factus est, Maii.

Ibidem in consortione honestissimorum ciuium vixit Pater FRIDERICVS GUILIELMVS GIESENHAGEN, et rem faciendo gemmariam non minus fructuose cum suis aluit se, quam diligenter.

Mater DOROTHEA ELISABETA, gentis BVCHHOLZIAE, vitam non sine magnis erga suos meritis ductam Lubecae, inter amplexus Filii Neptiumque ac Nuris, ante annum hunc fere tertium finiit.

Aus Paternus, VLRICVS ANDREAS GIESENHAGEN, a commentariis fuit Serenissimi Megapolitanorum Suerinenium Ducis, Caroli Leopoldi, cuius in seruicio Domitii tandem est mortuus.

Paternae stirpis Aus DOROTHEA ELISABETA MOISLINGIA, viri meritissimi, qui praefecturam administrabat Arbshagensem, fuit filia.

Materni generis hinc Aus AVGUSTINVS BVCHHOLZIVS, Ciuitatis Gustrouiensis a rationibus, et artis laude magna et integritatis floruit.

Aus Paternus, GERTRUDIS, propago gentis PIPERORVM in Pomerania, Patrem Correctorem Gymnasi Sundensis probe meritum venerabatur.

Ingenium Parentes, quantum esset in suo Filio, mature agnoscere videbantur, neque ullum propinquorum atque notorum, sece forte intelligentiorum, aliud sibi persuadentem, habebant. Vix igitur imbutum, ut tenellum, studiosissime Christiana fidei morumque doctrina, bonarum artium studiis litterarumque dedicandum iudicarunt. Quamquam proposito huic obstatre quam maxime censebatur oculorum imbecillitas, qua ille grauiter, etiam octo puer annorum, laborabat. Sed et vicit tamen ipsa naturae vis et votis omnium denique respondit.

Itaque traditus iam fuit magistris publicis et perquam idoneis in Gymnasio Gustrouensi, quorum primus erat, qui munieris nomine Succentor, suo REINHOLZ, vocabatur, alter HAHNIVS, Cantor, tertius CAROLVS A KRIWITZ, Subrector, quartus DAVID SANDOVIVS, Corrector, quintus denique DAVID ille RICHTERVS, Rector, qui non vno specimine doctrinae gloriam sibi ac famam comparavit.

Horum institutione virorum, quibus plurima se debere nunquam non fassus est, adeo profecerat in omni re, quam solemus ad humanitatem referre, ut a nemine amplius, quin iure suo ad academicas adspicere posset lectiones, dubitaretur. Ac statim anno saeculi XLVIII. missus Rostochium, pridie sui natalis vicefimi primi, ciues inter academiacae Varniacae locum accepit, haec iura dante ipsi Magnifico Rectore FRANCISCO ALBERTO AEPINO, Sacro-sanctae Theologiae Doctore ac Professore. Cui quidem viro doctissimo, grauissimo, amicissimo, sicuti tunc debiti cuiuslibet officii sedulo liberaliterque praestandi dederat fidem, ita postea continue adhaesit, monentique de disciplinis a se deligidis moderandoque studiorum omnium cursu paruit, et usque ad eius obitum, immo postmodum quoque, honorem, cultum, gratum animum, pietatem denique omnem, praestitit.

Et eiusdem ut fideliter monita in rem suam conuerteret, primi tempus anni philologicis potissimum philosophicisque occupationibus impedit. Ac memoranda praesertim censeo genera multa exercitationum, quibus maxime ad Hebraicam incubuit litteraturam, ducibus duobus magistris liberalium artium, quos plurimi libenter tunc audiebant, altero SCHVLZIO, altero PRIESIO illo, viro clarissimo, quem Gymnasium Gustrouense nunc Rectorem habet. Deinde nec Logicae reticendae sunt nec Metaphysicae lectiones, quas tradentem solide ac solerter AEPINVVM filium audiuit. Meditationes quoque acceperunt Hermeneuticae, quas filium sequens, ductum ab humanissimo quandam doctissimo ZVR LINDEM, dirigere studuit felicissime vir celeberrimus IOACHIMVS HENRICVS PRIES, Theologiae Doctor, Magistri, quem nominauimus, Frater. Etiam acceperit philosophia morum, eodem priore PRIESIO duce, qui libellum a Libero Barone A WOLFF de hac re germanice scriptum explicabat.

Biennio

Biennio hinc proximo disciplinae Theologicae fere soli vacauit. Ac fidei quidem Christianae dogmata, prout explicauit KOENIGIVS accuratissime in Theologia, quae positiva dicitur, instillante maximo fauore suo, AEPINO patre, imbibere coepit, quo mortuo eandem rem agere, sub eodem maiori PRIESIO, IOANNIS FECHTHI Compendium sequente, perrexit. Exegeticae vero Theologiae ut operam daret, magno duci PRIESIO magnum ducentrum alterum, IOACHIMVM adiunxit HARTMANNVM. Quos eosdem adhibuit quoque ductores in Christiana morum disciplina sedulo sapienterque tractanda, PRIESIO quidem SEBASTIANI SCHMIDII Compendium interpretante. Biblicalam hinc Theologiam Polemicamque diligenter exercuit eodem HARTMANNO potissimum duce. Vsum denique Historiae Christianae caeterarumque quarundam huic adhaerentium disciplinarum utilissimarum praecipiente PRIESIO sibi familiariorum reddidit.

Inde verno tempore anni LI. domum redux intra patrios parietes quasi secum habuit semper, corpore relietam, re sibi praesentem, academiam, ruminando, quae auduerat, volutando libros, quorumcunque copiam poterat habere, meditando, examinando, poliendo, quae vel haberet percepta, vel percipere amplius omni nisu studeret, concionando item, quoties occasio dabatur; donec ab Auunculo tandem euocaretur Lubecam, IOACHIMO CAROLO BVCHHOLZ, I. V. L. Iudicii superioris Procuratore, praceptorum eum habere cupiente suorum Liberorum. Cuius desiderio satisfacturus ipso ultimo anni eiusdem LI. die, faultissimo fidere, huc venit.

Nec diu moram duxit, paratarum a se opum, haud poenitendarum, quatenus patiebatur modestia, conscientius, quin specimina edendi facultatem accuratioris cuiusdam solidiorisque doctrinae Theologicae ambiret apud magnum huius rei existimatorem, summe reuerendum CARPZOVIUM, Sacrorum Lubecensium praefulem. A quo, data benigniter huius copia periculi, laudeque mox bene gestae rei addita, statim in eorum ordinem, qui Candidati vocantur, quod sacri munera ambiendi ius habent, receptus est a. LI. a. d. XVIII. Augusti.

Hinc vti dudum commeruerat praecipuum quendam Auunculi Hospitis amorem, peragendo, quod suum erat, fidelissime, sic fauorem omnium applausumque communem non modo pro concione verba faciendo pie, facunde, decenter, nec vnquam grauate, sed etiam, vbiunque vel in lucem prodiret publicam, vel sodalitia subiret hominumque congressus, eum se gerendo, qui nitidissimam quandam elegantiam cum omni coniunxit lepore sermonum, cumque morum sinceritate ac pietate constanti, mira vel arte, vel felicitate collegit. Talisne vir, quin citius multis publico munere initiatetur, dubium poterat videri?

Ac primus id velle efficere credebatur ipse Gustrouiensium Senatus amplissimus, a quo in patriam inuitabatur anno LIV. quam honestissime, vt in aede primaria, si modo Numinis ferret voluntas, Ecclesiastes futurus, publici speciminis gratia, verba facere ne recusaret. Ille vero fecit, atque ita, vt se in ipsum vertere auditorum fauor, aliorum vero elegantium vota viderentur. Quid multa? Minus fortasse tum animo lubente, sed tanto magis DEO duce, reuertit Lubecam.

Nec enim credibile est, casu factum esse postea, vt ipsum, prope fractum iam taedio quodam diurnioris expectationis et abitum fere parantem, insigni amplectetur fauore ac benevolentia reuero cum Ordini apud nos Canonicorum Praepositus, idemque supremus in seruitio potentissimi Sueciae Regis Marescallus, Generosissimus A PLESSEN, a quo valetudinis caula publico se dante conspectui non nisi rarissime, vt apud se intra priuatos parietes quoquis dominico die ac festo conciones haberet sacras, et rogabatur officiose, et reuera, quod annuisset, constituebatur. Immo, quoniam indulgentiae documento illo minime contentus erat vir excellentissimus, ab Eodem et omni subinde fuit beneficiorum genere affectus, et primariis multis per occasionem commendatus viris, ac pro ea, qua mereretur laudem ac praemia, dignitate iisdem indicatus. Et inter hos placere breui coepit eximie praecaeteris viro in ipso honoris gradu excelsiori longe humanissimo, Praefecto illi a Rege Magnae Britanniae Ducatu Leoburgensi, Generosissimo AB ALVENSLEBEN, a quo praeter caetera illud fauoris pignus accepit insignioris, vt ipso coram Raceburgi, quo excitatus ab Eodem venerat, anno XVI. a. d. XVIII. Martii, in illo grauissimorum virorum conciliabulo, quod Regium Consistorium dicitur, publice posset, quid in rebus Theologicis ingenii valescent vires, requirentibus interrogando id ipsum haud ultimis congregatorum, docere.

Nec vero erat obscurum, quorum ea res tenderet, quia coniiciebant haud dubie viri acutissimi, non nisi illa specimina requiri, vt eueherent hunc paullo altius, qui, qualis esset, quum faepe alias, nec simplici modo, tum calamo etiam publice, biennio ante, monstrasset; siquidem anno LIV. eleganter eruditque conscriptam ediderat commentarym de anno Iudaeorum Iobelaeo, vt summe reuero CARPZOVI, Iubilaeum sacri munera hilariter tum celebranti, gratularetur (*). Sed constituerat DEVS, non in patria ipsi, non ex Patronorum voto exterorum, non nisi in hac vrbe, sacerdotii onus imponere. Nil enim rerum alibi consiliis cedebat humanis: hic omnia sponte quasi fluebant, simul atque proprium illud tempus illuxerat. Quod quidem adfuit mox tempus anno LVIII., quum tandem ipse, qui suspensus quasi et in dubio fuerat antea, deligeretur feliciter, electione facta a. d. XXVII. Aprilis, in aede Cathedrali, in qua gradatim nono fere post anno ad Archidiaconi, deinde post annum itidem nonum ad Pastoris dignitatem electus est. Hunc enim vt posset honorum consicere cursum, ipse sibi, Numine indulcente, strauerat viam, omnes crediti munera partes religiose pro viribus explendo, nulla concione publica, nulla piorum hominum confessione, cui reddenda vices essent, nulla morbidorum atque morientium, nulla quarumlibet aetatum atque conditionum necessaria cura, nisi obstaculo vel valetudo esset, vel causa omnino fontica, neglecta. Sed loquatur pro me pressum illud et attentum dulcissimi et viri et oratoris, quando concionabatur, auditorium, loquatur aedificium templi, loquuntur domicilia priuata, loquuntur denique vox publica totaque Ciuitas! Nam de tenuissimi corporis imbecillitate et aegrotatione frequentiori Medicus ordinarius ipse mox paullo plura differet. Nos interea de coniugio viri dupli breuiter agemus.

Primo sibi matrimonio iunxit anno LVIII. a. d. XVII. Octobris Virginem elegantissimam et virtute qualibet ornatissimam, DOROTHEAM ELISABETAM, laudatissimi Ciuii et vendendorum sub hasta supellectilium praeconis probatisimi, IOANNIS SIEDENBURGI, Filiam, ex qua parens hinc factus est sexies ita, vt et femella proles et mascula seruaret alternas vices.

Nascebatur enim primum a. LXIX. a. d. XXI. Octobris Filia LVDOVICA DOROTHEA, quae funestissimum nunc obitum Parentis, cuius vt amore semper arsit flagrantissimo, sic gaudium adhuc fuit longe dulcissimum longaque suauissimum alienamentum, tanto vehementius, et merito, luget.

Deinde a. LX. a. d. XXIV. Novembris Filius, IACOBVS AVGVSTINVS, virtutum Patris omnium aemulus, qui, vt et Theologus illi similis euaderet, rebus in Gymnasio quintum in annum optime gestis, anno LXXX. verno tempore Gottingensem petiit academiam. Sed inde post quinquennium ibi absolutum ita rediit nepefrime, vt Parenti praeter gaudium ex illa re breuissimum, vix aliud quidpiam, proh dolor! quam supremum officium, praestare posset.

Filia hinc ANNA CATHARINA, quam vitam acceperat anno LXII. a. d. XXI. Iulii, altero vix coepio aetatis anno, die XXIV. Iulii, reddidit.

Filius autem, qui compensauit huius abitum a. LXIV. a. d. I. Septembris, IOANNES FRIDERICVS, pet Dei clementiam viuit ac flebilem iam de Patris obitu nuncium Gustrouii, vbi Pharmacopolarum instruitur artibus, accepit.

Viuit et floret suis virtutibus, diuque viuat, optamus, et efflorescat iudicis magis, Filia MARIA ELISABETA, quae prodita in lucem a. LXVI. a. d. I. Maii, nunc, quid amiserit, quamque irreparabile fecerit damnum, videt.

Filiorum vero tertius, omnium idem Liberorum ultimus, CAROLVS AVGVSTVS, qui natus erat a. LXVIII. a. d. VII. Februarii ac mortuus fuit ipso postremo die anni LXX., dudum Patrem praegressus est in calcando aeternitatis tramite, non Matrem, quae potius ipsum beata morte a. LXVIII. a. d. XIII. Augusti anteuerterat.

Vin-

(*) Exstat etiam inter Planus et votivas acclamaciones concioni CARPZOVIANAE saeculari: Demuthiges Danck und Freuden-Opfer etc. quae Lubecae a. 1754. 4. prodiit, annexas, pagg. 247—266. Vbi hanc pae se fert inscriptio nem: An annus Iobelaeus inter typos temporum N. T. referendus?

Vinculo igitur maritali cum ista Coniuge amata quam tenerime, nimis crudeliter abrupto, caelibem videbatur vitam cum omni velle viuendi tempore adaequare, quia tamdiu ad secunda vota re nulla, quantumvis graui, permouebatur. Sed accidit tamen, praeter opinionem fere omnium, licet minime praeter optata, ut anno LXXXI. a. d. XII. Iunii denuo coniugalem ingredetur societatem cum Virgine laudatissima praestantissimaque nullo non genere virtutum, CAROLOTTA BARBARA, egregii quondam et in primis honesti Ciuis et viri, CAROLI GVSTAVI MÜLLERI, Filia, quae, quanta teneritate amoris, curae, studii, sollicitudinis profecta sit semper Maritum, quanta item sapientia, caritate, industria prole Eius omnem, nemo nescit, nunc autem quo confecta et fere absunta moerore sit, ob infastam rerum commutationem, quisque facilime et videt et intelligit. Omnes enim quum lugeamus, quaenam non ad illam peruenire tristitia censenda est? Sed vulnera, quae DEVS optimo certe ac sapientissimo consilio fecit, idem ille, nec enim sperandum hoc minus firmiter, quam ardenter optandum est, suo tempore sanabit.

Nobis iam, quia fugere rem tristem, sed effugere plane non possumus, ad ultima viri fata veniendum est, quamquam et huic sepe narrationi sponte, quae solatio lugentibus queant esse, miscebunt.

Et iuuat ante statim apponere, quae vetus et Amicus viri et Medicus, vir nobilissimus experientissimusque, CHRISTIANVS FRIDERICVS TRENDENBVRG, salutaris artis Doctor et Effector elogiis tot hominum et gratissimorum et intelligentissimorum, summorum, imorum, celebratissimus, de rebus illis ita sribit expertus et, in ipso iustissimo animi dolore, arte summa.

„Anxio pectore, perturbato tristique animo ad triste me accingo officiam, funestorum, calamitorumque symptomatum morborum seriei recensendae, quibus tandem succubuit, quorumque vi consumptus est amicus, VIR PLURIMUM REVERENDUS GIESENHAGEN, Pastor ad eadem cathedralem modo vigilans meritisimusque. Tenella debilique a teneris ungivculis muscularum, fibrarum, nervorumque fabrica erat; tenui hinc semper infirmaque valeridine, crebrisque ac varis obnoxius morbis. Iavenili actare vix egressus malo iam conflictabatur, quod ab hypochondriis nomen trahit, sub his praecepit latens, eaque prae ceteris afficiens, atque ex stagnante sub iis in debilibus viscerum abdominalium vasculis sanguiferis, tento cruxis circuitu, ut ex debili, nimisque sensili nervorum systemate, ortum trahens; quod malum familiare nimis est iis, qui studiis tantum doctrinisque dediti, animi ingenique aciem dotesque colunt, non aequa corporis robur curant atque integratorem, vitamque agunt ut plurimum sedentariam. Ad virilem porro aeratem progressus continuo conflictabatur cum eodem male, cui sepe iungebant tum molimina haemorrhoidalia, tum haemorrhoides ipsae fluentes, tot malorum origo atque lerna, Namque illae quum ad certum ordinem modumque redigi nunquam possent, anomalae semper mox stagnabant sub hypochondriis anxiabantque praecordia; mox ad ventriculum se regurgitabant, quem, uti quandoque totum ventrem, dum scilicet intestinorum tractum occupabant, flatibus implebant, atque digestivas concoctricesque vires debilitabant, modo ad thoracem, ad pulmones, ad laryngem adscendebant, excitabantque tussiculum, tussim quandoque vere convulsam, suffocativam, tum cum expectoratione, tum absque ea, tum cum exscretu saepiuscule muci viscidi pellucidi, tum mixta quandoque cum striis sanguineis, tum et quandoque cum sanguine mero rubro, qui tamen post paucas aliquor exscretiones sive exscretes cruentas mox semper penitus sesebatur; in qua quidem re ab aliis haemoptysios speciebus, non haemorrhoidalibus, valde differebat. Altiora demum ipsumque caput petens impetus sanguinis haemorrhoidalis, male illud afficiebat, cerebrum obnubilabat, meditandi, cogitandi vim et aciem hebetabat; atque ingratam aegritudinem illi adferebat, quae ad muneris officia subeunda virum redderet inhabilem. Saepiuscule solvebat conatus haemorrhoidales post multos lumborum dolores, benefica diarrhoea, quae tamen et saepe serosa, pituitosa, mucosa, mucum scilicet haemorrhoidalem copiosum cum impetu, cumque in gente intolerabilque tenesmo excernens, tanta erat, ut vires fere omnes penitus prosterneret. Id mali genus hisce temporibus vitae ultimis nimium saepe graviterque aegrum vexabat. Quandoque sanguinis profundum per menses quotidie durans, ob amissam cruxis molem, infestabat vires. Non raro tumultuanta haemorrhoidum stagnantium molimina, quum fluxus exitum non invenire, febrem excitabant, catarrhalis aemulam, ast vere haemorrhoidalem, quippe gravioribus ex istis symptomatis stipata. Difficile tardeque semper post talē, quae lectulo eum adfixum teneret, vigor pristinus redibat, viresque amissae recuperabantur, et saepiuscule, quum via recuperatae viderentur, mox in eandem febrem eodem modo recidit. Triste fatum hocce praecepit erat hiemis anni precedentis, quod tandem primo vere eiusdem anni gravi finiebatur cum cholera humida, ex qua non est nisi ingente cum vitae periculo eluctatus, ast vires in eo amissas nunquam penitus resarcit, quibus tamen aestatis beneficio, ac favente coeli congrua temperie quodam modo collectis, hiems iam clapsa iusecta est earundem calamitatum plena. Namque nunquam sopia haemorrhoidum moliminiibus, modo nimium diu ac per hebdomades multis continue quotidieque perdurabat earum fluxus; modo eius loco mucosae illae cum tenesmo dolorifico misere cum lacerabant; modo diarrhoea ingens haemorrhoidalis vires frangere visa est; modo alvus obstipata incommoda adferebat; modo spurum cruentum semper post aliquor tamen exscretiones cessans, periculum minabatur; modo febres haemorrhoidales varie alteruatimque preesse se iuvicem sunt infestatae. Semper autem fere ac continue absque notabili quadam remissione vel tussicula, vel tussis convulsive, ac tensiones pressionesque hypochondriorum, praecordiorum, diaaphragmatis, pectoris, membrorum debilitas ac lassitudine dire excruciant aegrum, quibus sepe insomnes intermiscebant noctes. Exhaustis hac ratione viribus, ultimis vitae diebus ferox redit tussis illa suffocativa, convulsive cum vomendi conatus validis ac vomitionibus, absque tamen hac vice exscreti sanguinis vestigis, qua quidem mox sopia, restitit tamen tussicula illa vetusta sicca, in qua nil plane exscreari poterat, continue diu nocteque lacepsis, somnum omnem penitus adimens, concomitante tenesmo illo molestissimo cum obstipatione quadam alvi. Paucis ira diebus mirum in modum macie extabuit corpus, diurno morbo iam emaciatum atque coniectum, atque reliquae paucissimae vitae vires ita sunt fractae, ut tabidus, emaciatus, euervatus, exhaustusque, mente integra, semperque sibi constante, absque manifesta quadam febre extremum halitum, animamque efflaret. Immanis est, quam fecimus, iactura, quamque iuste mecum lugent Uxor eius amata, nunc Vidua, Liberi, Agnati ac Amici, immo et grex ille, cui praerat, quem pasceret tanto animi ardore, fide, pietate, animi alacritate egregius ille praeclarus prudensque pastor, tantis ingenii dotibus, eximiaque eruditio ac doctrina ornatus.“

Haec omnia vah quantam, vt mirandi, quin obstupecendi, sic dolendi, materiem praebent! Ac magis admirabitur, quisquis audierit, eadem haec omnia magno animo atque tranquillo quam patientissime perlata semper ab illo fuisse, qui corporis virium tenuitate vix parem habere videretur, quique in hac ipsa valetudine extrema, hacten haud dubia praeensione proximum suum abitum ominaretur, tanta praeeditus tamen esset serenitate mentis, in quolibet consilio DEI PATRIS CHRISTI que meritis acquiescentis, vt omnibus etiam illis miraculo esset, qui tam puri pectoris pietatem candidissimam dudam perspexerant. Quorum in numero testium idoneus nemo magis fuit, quam coniunctissimus viro amicissimusque Collega, qui per hanc quoque occasionem omnia se digna constanter effecit, vir admundum reuerendus et praeclarissimus, IOHANNES HENRICVS CARSTENS, diuini coetus Cathedralis Archidiaconus doctrina, fide, meritis praestantissimus, a quo pridie diei emortalis epulo quoque sacratissimo ac suauissimo dulcissimi Redemptoris refectus est. An vero magis decet ex his rebus dolorem haurire, quam solatum? Annon gaudii potius dulcedine debet, quam lucretum acerbitate, perfundi, qui talia rite cogitat? Ille certe laetus abiit, quo praegressus omnes pios est Dux eorum et Antesignanus, quum ante diem IV. Maii pridie adscensionis CHRISTI breui post sextam horulam vespertinam, suas ipse preces inter, minime anxius, quin potius quietus, placidus, tranquillus, animam efflavit.


Ista meditantes non egebunt solatio longe petito Vidua, Liberi, Agnati, Cognati, Auditores, Gregales, Amici. Faxit modo DEVS, vt semper iis detur ista meditari, videreque, quam iucunde soleat is mala compenfare, cuius proprium est illud, vt nemini mala, quae non sint bona, immittat!

Hoc autem die, MAGNIFICI ET ILLVSTRES REI PUBLICAE CONSULES, summe venerab. et illustr. reuer. Canonicor. Ordini PRAEPOSITE, Generofiss. Eorundem DECANE, summe reuer. et excellentiss. Sacrorum PRAESEVL, Nobiliss. Consultiss. et Experientiss. Reipublicae SYNDICI ac Iuriuum artis Medicaeque DOCTORES, admodum reuer. ac praeclariss. Sacri Ord. SENIOR, PASTORES atque SYMMYSTAE, nobilissimi, generose, prudenterque prae caeteris curae est, rogare VOS audeo et orare, vt in frequentando comitatu funerali hodierni velitis edere Vestrae mentis animique documentum.

P. P. Ipso exequiarum die XII. Maii A. d. CCCLXXXV.



[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn175700663X/phys_0007](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn175700663X/phys_0007)



Biennio hinc proximo disciplinae Theologicae fere soli vacauit. Ac fidei quidem Christianae dogmata, prout explicauit KOENIGIVS accuratissime in Theologia, quae positua dicitur, instillante maximo fauore suo, AEPINO patre, imbibere coepit, quo mortuo eandem rem agere, sub eodem maiori PRIESIO, IOHANNIS FECHTHI Compendium sequente, perrexit. Exegeticae vero Theologiae ut operam daret, magno duci PRIESIO magnum ducentum alterum, IOACHIMVM adiunxit HARTMANNVM. Quos eosdem adhibuit quoque ductores in Christiana morum disciplina sedulo sapienterque tractanda, PRIESIO quidem SEBASTIANI SCHMIDII Compendium interpretante. Biblicalam hinc Theologiam Polemicamque diligenter exercuit eodem HARTMANNO potissimum duce. Vtum denique Historiae Christianae caeterarumque quarundam huic adhaerentium disciplinarum utilissimarum praecipiente PRIESIO sibi familiariorem reddidit.

Inde verno tempore anni LI. domum redux intra patrios parietes quasi secum habuit semper, corpore reliquam, re sibi praesentem, academiam, ruminando, quae audiuerat, volutando libros, quorumcunque copiam poterat habere, meditando, examinando, poliendo, quae vel haberet percepta, vel percipere amplius omni nisi studeret, concionando item, quoties occasio dabatur; donec ab Auunculo tandem euocaretur Lubecam, IOACHIMO CAROLO BVCHHOLZ, I. V. L. Iudicis superioris Procuratore, praecceptorem eum habere cupiente suorum Liberorum. Cuius desiderio satisfactorius ipso ultimo anni eiusdem LI. die, sautissimo fidere, hoc venit.

Nec diu moram duxit, paratarum a se opum, haud poenitendarum, quatenus patiebatur modestia, confcius, quin specimina edendi facultatem accuratioris cuiusdam solidiorisque doctrinae Theologicae ambiret apud magnum huius rei existimatorem, summe reuerendum CARPZOIVM, Sacrorum Lubecensium praefulem. A quo, data benigniter huius copia periculi, laudeque mox bene gestae rei addita, statim in eorum ordinem, qui Candidati vocantur, quod sacri munera ambiendi ius habent, receptus est a. LI. a. d. XVIII. Augusti.

Hinc vti dudum commeruerat praecipuum quandam Auunculi Hospitis amorem, peragendo, quod suum erat, fidelissime, sic fauorem omnium applausumque communem non modo pro concione verba faciendo pie, facunde, decenter, nec vnquam grauate, sed etiam, vbiunque vel in lucem prodiret publicam, vel sodalitia subiret hominumque congressus, eum se gerendo, qui nitidissimam quandam elegantiam cum omni coniunctione lepore sermonum, cumque morum sinceritate ac pietate constanti, mira vel arte, vel felicitate collegit. Talisne vir, quin citius multis publico munere initiatetur, dubium poterat videri?

Ac primus id velle efficere credebatur ipse Gustrouiensium Senatus amplissimus, a quo in patriam inuitabatur anno LIV. quam honestissime, vt in aede primaria, si modo Numinis ferret voluntas, Ecclesiastes futurus, publici speciminis gratia, verba facere ne recusaret. Ille vero fecit, atque ita, vt se in ipsum vertere auditorum fauor, aliorum vero elegantium vota viderentur. Quid multa? Minus fortasse tum animo lubente, sed tanto magis DEO duce, reuertit Lubecam.

Nec enim credibile est, casu factum esse postea, vt ipsum, prope fractum iam taedio quodam diurnitoris exspectationis et abitum fere parantem, insigni amplectetur fauore ac benevolentia reuerendo tum Ordini apud nos Canoniconum Praepositus, idemque supremus in seruicio potentissimi Sueciae Regis Mareschallus, Generosissimus A PLESSEN, a quo valetudinis causa publico se dante conspectui non nisi rarissime, vt apud se intra priuatos parietes quoquis dominico die ac festo conciones haberet sacras, et rogabatur officiose, et reuera, quod annuisset, constituebatur. Immo, quoniam indulgentiae documento illo minime contentus erat vir excellentissimus, ab Eodem et omni subinde fuit beneficiorum genere affectus, et primariis multis per occasionem commendatus viris, ac pro ea, qua mereretur laudem ac praemia, dignitate iisdem indicatus. Et inter hos placere breui coepit eximie caeteris viro in ipso honoris gradu excelsiori longe humanissimo, Praefecto illi a Rege Magnae Britanniae Duc Leoburgensi, Generosissimo AB ALVENSLEBEN, a quo praeter caetera illud fauoris pignus accepit insignia vt ipso coram Raceburgi, quo excitatus ab Eodem venerat, anno LVI. a. d. XVIII. Martii, in illo grauissimo virorum conciliabulo, quod Regium Consistorium dicitur, publice posset, quid in rebus Theologicis ingenii vident vires, requirentibus interrogando id ipsum haud ultimis congregatorum, docere.

Nec vero erat obscurum, quorsum ea res tenderet, quia coniiciebant haud dubie viri acutissimi, non nisi specimina requiri, vt eueherent hunc paullo altius, qui, qualis esset, quum faepe alias, nec simplici modo, calamo etiam publice, biennio ante, monstrasset; siquidem anno LIV. eleganter eruditusque conscriptam edidit commentarym de anno Iudeorum Iobelaeo, vt summe reuerendo CARPZOVIO, Iubilaeum sacri munera hilariter celebranti, gratularetur (*). Sed constituerat DEVS, non in patria ipsi, non ex Patronorum voto exterior nonnisi in hac vrbe, sacerdotii onus imponere. Nil enim rerum alibi consiliis cedebat humanis: hic omnia sp. quasi fluebant, simul atque proprium illud tempus illuxerat. Quod quidem adfuit mox tempus anno LVIII., q. tandem ipse, qui suspensus quasi et in dubio fuerat antea, deligeretur feliciter, electione facta a. d. XXVII. Ap. in aede Cathedrali, in qua gradatim nono fere post anno ad Archidiaconi, deinde post annum itidem nonum Pastoris dignitatem euectus est. Hunc enim vt posset honorum confidere cursum, ipse sibi, Numine indulge strauerat viam, omnes crediti munera partes religiose pro viribus explendo, nulla concione publica, nulla pio hominum confessione, cui reddendae vices essent, nulla morbidorum atque morientium, nulla quarumlibet aetatis atque conditionum necessaria cura, nisi obstaculo vel valetudo esset, vel causa omnino fontica, neglecta. Sed quatur pro me presum illud et attentum dulcissimi et viri et oratoris, quando concionabatur, auditorium, locutus aedificium templi, loquuntur domicilia priuata, loquuntur denique vox publica totaque Ciuitas! Nam de tempi corporis imbecillitate et aegrotatione frequentiori Medicus ordinarius ipse mox paullo plura differet. Nos inde coniugio viri dupli breuiter agemus.

Primo sibi matrimonio iunxit anno LVIII. a. d. XVII. Octobris Virginem elegantissimam et virtute qua ornatissimam, DOROTHEAM ELISABETAM, laudatissimi Ciuis et vendendorum sub hasta supellectilium praecipitissimi, IOHANNIS SIEDENBVRGI, Filiam, ex qua parens hinc factus est sexies ita, vt et femella prole mascula seruaret alternas vices.

Nascitur enim primum a. LIX. a. d. XXI. Octobris Filia LVDOVICA DOROTHEA, quae funestissimum nunc obitum Parentis, cuius vt amore semper arsit flagrantissimo, sic gaudium adhuc fuit longe dulcissimum locum suauissimum alleuamentum, tanto vehementius, et merito, luget.

Deinde a. LX. a. d. XXIV. Novembbris Filius, IACOBVS AVGVSTINVS, virtutum Patris omnium aemuli, qui, vt et Theologus illi similis euaderet, rebus in Gymnasio quintum in annum optime gestis, anno LXXX. v. tempore Gottingensem petiit academiam. Sed inde post quinquennium ibi absolutum ita rediit nuperisse, vt renti praeter gaudium ex illa re breuissimum, vix aliud quidpiam, proli dolor! quam supremum officium, permanere posset.

Filia hinc ANNA CATHARINA, quam vitam accepérat anno LXII. a. d. XXI. Iulii, altero vix coepito a. anno, die XXIV. Iulii, reddidit.

Filius autem, qui compensauit huius abitum a. LXIV. a. d. I. Septembribus, IOHANNES FRIDERICVS, Dei clementiam viuit ac fleabilem iam de Patris obitu nuncium Gustrouii, vbi Pharmacopolarum instruitur artibus, acceptus. Viuit etiam et floret suis virtutibus, diuque viuat, optamus, et efflorescat indies magis, Filia MARIA ELISABETA, quae prodiit in lucem a. LXVI. a. d. I. Maii, nunc, quid amiserit, quamque irreparabile fedamnum, videt.

Filiorum vero tertius, omnium idem Liberorum ultimus, CAROLVS AVGVSTVS, qui natus erat a. LXV. a. d. VII. Februarii ac mortuus fuit ipso postremo die anni LXX., dudum Patrem praegressus est in calcando aeterni trahite, non Matrem, quae potius ipsum beatam morte a. LXVIII. a. d. XIII. Augusti anteuerterat.

(*) Exstat etiam inter Planus et votivas acclamaciones concioni CARPZOVIANAE faeculari: Demuthiges Danck Freuden-Opfer etc. quae Lubecae a. 1754. 4. prodiit, annexas, pagg. 247—266. Vbi hanc pree se fert inscrip- nem: An annus Iobelaeus inter typos temporum N. T. referendus?

